BIBLIA LATINA, BD. 1
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 382r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

enim quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant malum. At tamen peccator ex eo quod centies facit malum et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum qui verentur faciem eius. Non sit bonum impio nec prolongentur dies eius, sed quasi umbra transeant qui non timent faciem ~~eius~~ Dei. Est et alia vanitas que fit super terram.

IX

Sunt iusti quibus mala proveniunt quasi opera egerint impiorum, et sunt impii qui ita securi sunt quasi iustorum facta habeant. Sed hoc quoque vanitas est et vanissimum iudico. Laudavi igitur leticiam quod non homini bonum sub sole nisi quod comederet et biberet atque gauderet, et hoc solum secum afferret de labore suo in diebus vite quos dedit ei Deus sub sole. Et apposui cor meum ut scirem sapientiam et intelligerem distencionem que versatur in terra. Est homo qui diebus et noctibus somnum non capit oculis. Et intellexi quod omnium operum Dei nullam possit invenire homo racionem eorum que fiunt sub sole, et quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniet; etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Omnia hec tractavi in corde meo ut curiose intelligerem. Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Sed omnia servantur in futuro incerta, eo quod universa eque eveniant iusto et impio, bono et malo, mundo et immundo, inmolanti victimas et sacrificia contempnenti. Sicut bonus sic et peccator, ut periurus ita et ille qui verum deierat. Hoc est pessimum inter omnia que sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malicia et contemptu in vita sua, et post hec ad inferos deducentur. Nemo est qui semper vivat et qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis vivens leone mortuo. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nichil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum. Amor quoque et odium et invidie simul perierunt, nec habent partem in hoc seculo et in omni opere quod sub sole geritur. Vade ergo et comede in leticia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiet. Perfruere vitam cum uxore quam diligis cunctis diebus vite instabilitatis tue, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tue; hec est enim pars in vita et labore tuo quo laboras sub sole. Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus nec virtus nec sapientia vel sciencia erunt apud inferos quo tu properas.

382